

¶ XX.

Gratiam, quæ nihil sit aliud, quàm infusus Charitatis habitus.

57. Rancidas istas & exoletas quisquilias postliminiò in Ecclesiam invehunt Iesuitæ, dum in Actis Apostolicis, quæ Gratiâ & gratis justificari nos asserunt, Vocabulum Gratiæ, de inhærente nobis Qualitate, & infuso dilectionis habitu interpretantur, qui Spiritu sancti donatione credentibus obtigerit, cuius vi ac merito postmodum fiat, ut renati iustificentur.

58. Verùm refutat elumbe hoc cavillum, primum manifesta equipollentia & συνωνυμία vocabulorum & phrasium. Nam quod Eph. 2. 8. dicitur: Gratiâ estis salvati: id Apostolus statim hunc in modum, sed non sensu Iesuitico, explicat: DEVS, qui dives est in misericordia, pro immensa charitate sua, sic dilexit nos, & cum essemus peccatis mortui, cum Christo nos vivificavit, ut ostenderet abundantes divitias gratiæ suæ, in bonitate sua erga nos.

59. Pari ratione. Tit. 3. 5. idem Apostolus, Gratiam hanc DEI, vocat ἔλεος θεῶν, misericordiam DEI, & quidem nobis ante tempora secularia datam. 2. Timoth. 1. 9. Quæ sanè nihil est aliud, quam gratuitus favor DEI, erga nos, quos nos gratis, sine ullo nostro merito, per & propter Christum